



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Herbipolim excurrit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

uississe item haud inani manu: alios demum omnes è populo concione, alloquio, re, exemplo mirificè recreasse: pertinaces in errore ad vertendum solum compulisse: sanxisseq; in posterum, ne cui inquilino Eluangam pateret accessus, nisi qui Catholicam fidem ritè professus esset. Inter hæc munera Paschales iam Feriæ appetierant, cum Canisius ad intermissam scriptionem totus animo, ac mente festinans, trepide accersitur Herbipolim, studiisque ingentibus fatigatur, vt confestim accurrat. Frequentem in vulgus rumorem ab Lutheranis dispersum, eum cognita demum veritate, prisco deserto cultu, ad ipsorum nouum Euangelium demigrasse. Inde triumphare, & insultare Catholicis: & quamuis videretur sapientibus ea fama incredibilis, tamen idiotis non leue discrimen afferre: qui, vt de fabula non dubitarent, ita persuaderent sibi aliquid tandem vidisse eiusmodi virum, quare noua veteribus sacra præstarent. Igitur ad hoc impudens, & exitiale machinamentū coram ex templo funditus euertēdum aduolaret. Apparuit ille repente, quo iam notus erat cultu, habituque: ostentauit se se per urbem, ascendit in locum superiorem,

k

terque

Herbipolim ex-
currit.

terque ad frequentissimam concionem verba fecit Nudauit Hæreticorum fraudes, & in sua ipsorum capita vertit: Catholicos demum in prisco Euangelio, quod vnum, verum, sanctum, ac salutare est, nec, etiamsi Angelus de Cælo nuntiaret, aliud esse potest, vehementer constabiliuit.

*Legitur primus
Prouincia pro-
curator.*

Regressus Herbipoli accitur Augustā ad Prouincialem conuentum, qui primus, vt in cetero quoq; Societatis Prouinciis, habitus est ad Procuratorem legendum, qui profectus in Urbem simul videret, numqua esset causa, cogendæ generalis Congregationis, simul de Prouinciæ statu Generalem Præpositum edoceret. Vt erant ij primi conuentus, nec dum constabat Prouinciales ad eam procurationem destinari non debere; Patres qui neminem putabant nec plenius, nec sincerius posse, seu de Prouincia loqui, seu de totius Societatis statu deliberare, Canisium ad id muneris legunt. Excusanteq; eo hic quoq; iniunctam sibi Pontificio iussu scriptionem, nullum inde impedimentum rati, sed potius non mediocria habiturum Romæ ad eam ipsam rem subsidia ab illis, doctisque viris, in sententia perstiterunt: nec post multo in urbem iter corripuit ab ipso ductus

Cardi